

etiam ipse augur vellet esse, plurimisque locis gravis auctor Democritus praesensionem rerum futurarum comprobaret: Dicaearchus Peripateticus cetera divinationis genera sustulit, somniorum et furoris reliquit; Cratippusque familiaris noster, quem ego parem summis Peripateticis judico, iisdem rebus fidem tribuit, reliqua divinationis genera rejicit. Sed quum Stoici omnia fere illa defenderent, quod et Zeno in suis commentariis quasi semina quaedam sparsisset, et ea Cleanthes paullo uberiora fecisset: accessit acerrimo vir ingenio Chrysippus, qui totam de divinatione duobus libris explicavit sententiam, uno praeterea de oraculis, uno de somniis: quem subsequens, unum librum Babylonius Diogenes edidit, ejus auditor; duo Antipater; quinque noster Posidonius. Sed a Stoicis, vel princeps ejus disciplinae, Posidonii doctor, discipulus Antipatri, degeneravit Panaetius: nec tamen ausus est negare, vim esse divinandi, sed dubitare se dixit. Quod illi in aliqua re, invitissimis Stoicis, Stoico facere licuit, id, nos ut in reliquis rebus faciamus, a Stoicis non concedetur? praesertim quum id, de quo Panaetio non liquet, reliquis ejusdem disciplinae solis luce videatur clarus. Sed haec quidem laus Academiae praestantissimi philosophi judicio et testimonio comprobata est.

Etenim nobismet ipsis quaerentibus, quid sit de divinatione judicandum, quod a Carneade multa acute et copiose contra Stoicos disputata sint, verentibusque, ne temere vel falsae rei, vel non satis cognitae assentiamur: faciendum videtur, ut diligenter etiam atque etiam argumenta cum argumentis comparemus, ut fecimus in his tribus libris, quos de natura deorum scripsimus. Nam quum omnibus in rebus temeritas in assentiendo errorque turpis est, tum in eo loco maxime, in quo judicandum est, quantum auspiciis rebusque divinis religionique tribuamus; est enim periculum, ne aut, neglectis iis, impia traude, aut susceptis, anili superstitione obligemur.